

controversiam, intra, vel extra judicium, Felinus in d. c. *Cum Joannes*. n. 33 de *Fide instrument.*, et Barbosa, part. II de *Offic. et potest. episc. allegat.* 19. n. 16. Hinc « pacifice possidet, » qui sine lite possidet, Glossa in Clem. un. *Antea, de Sequestrat. possess.* Rebuffus, tract. de *Pacifica possessione*. n. 1065. Et quidem possessio pacifica semel acquisita, non desinit esse pacifica, si ex post facto desuper controversia moveatur. Glossa in c. *Commissa*. 35. *Antea, de Electione*. in 6. juncta Glossa margin. *ibid.*, istud post Lapum intelligente, quando quis possessionem aliquandiu, puta per mensem, vel duos menses obtinuit sine litigio. Secus dicendum, si in ipsamet apprehensione sibi moveatur lis, l. *Si post perfectam*. c. de *Evictionib.*, vel saltem incontinenti post, arg. c. *Offici.* 38 de *Electione*, et amplius probat Glossa, ubi supra.

24. *Possessio habens plus juris, quam facti.* — Dividitur præterea possessio in eam « quæ habet plus juris quam facti; » et in eam, quæ e contra « plus habet facti quam juris, » et in eam, quæ simul « habet multum juris, et multum facti. » Atque hæc possessionis divisio clare desumitur ex c. *Cum nostris*, 6, juncta Glossa, *Antea, de Concess. præbend.*, et l. *Possessio quoque*. 49. ff. de *Acquir. possess.* Et quidem tunc possessio censetur « habere plus juris, minus facti, » quando in ea plus versatur atque operatur juris dispositio, quam nostrum factum : ut est possessio, quæ acquiritur nobis per servum, aut aliam personam in nostra potestate constitutam, d. l. *Possessio quoque*, etc. Nam in hæc parum intervenit de facto nostro (cum acquiritur nobis etiam ignorantibus, atque ex tunc jam currat usucapio, l. 2. ff. *Pro soluto*;) sed totum quasi procedit ex juris humani artificio, seu dispositione. Hoc idem accidit in retinenda possessione : nam ex juris dispositione hæc retinetur etiam ab absente, qui discessit animo revertendi; et procedit præscriptio, sive usucapio ex parte sic possidentis.

25. *Et habens plus facti, quam juris.* — Econtra tunc possessio dicitur « plus habere facti, quam juris, » quando in ea plus operatur factum nostrum, quam juris dispositio. Sic accidit in acquirenda possessione, eo quod hæc sine corporali apprehensione non procedat, l. *Licet*. c. de *Acquir. possess.* Et quia possessio per corporalem apprehensionem pariter jam acquirebatur ante omnem humani juris dispositionem, sic ea in acqui-

rendo parum habet juris et plus facti. Aliud exemplum habetur in d. c. *Cum nostris, de Concess. præbend.*, ubi refertur possessio præposituræ plus habens facti, quam juris : quia videlicet corporaliter quidem detinebatur, sed cum dubio juris, aut titulo solum colorato.

26. *Et habens multum juris, et multum facti declaratur.* — Tandem datur « possessio habens multum juris, et multum facti » : ut fit, si possessio nobis acquiratur per procuratorem. Nam ex juris dispositione acquiritur ipsa nobis etiam ignorantibus, sed vi ejus non procedit usucapio, nisi nobis scientibus, d. l. ff. *Pro soluto*; ac proinde multum habet juris, et multum facti nostri, utpote simul requisiti. Glossa in d. c. *Cum nostris*, et Abbas, *ibid.* n. 14 de *Concess. præbend.*, et alii. Tacentur nonnullæ aliæ possessionis divisiones, utpote de quibus suo loco commodius ageatur.

§ II.

DE DIFFERENTIIS POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS, ILLIUSQUE COMMODIS.

27. *Possessionis nomen interdum significat proprietatem.* — Quæritur I. An, et quomodo possessio differat a proprietate? Resp. I. Quamvis interdum nomen *possessionis* significet etiam *proprietatem*, tanta nihilominus et tam multiplex inter utramque est differentia, ut merito proprietatem censeatur nihil habere commune cum possessione. Ita communis. Et quidem prior pars habetur ex l. *Interdum*, ff. de *Verb. signif.* ibi : « Interdum proprietatem quoque verbum possessionis significat : sicut eo, qui possessiones suas legasset, responsum est, » cum concordantiis; estque jam dictum supra n. 5.

28. *Ita tamen differunt, ut nihil commune habeat proprietatem cum possessione.* — Altera pars reperitur expressa in l. *Naturaliter*. § *Nihil commune*. ff. de *Acquir. possess.* illis verbis : « Nihil commune habet proprietatem cum possessione. » Etsi enim ista jura possint intentari, atque frequenter intententur super eadem re; adhuc tamen sunt penitus distincta jura, et diversi effectus amborum : simulque sententia lata in uno, non præjudicat in altero. Et quia insuper nec ut pars, nec ut totum sese invicem contingunt, neque unum necessario sequitur ad alterum, quin etiam ab invicem separari possunt : hinc non im-

merito proprietatem nihil censetur habere commune cum possessione. Sic quippe non raro contingit, quod aliquis sit possessor, qui non est dominus; alter dominus quidem, sed non possessor, l. 1. § *Hujus autem*. ff. *Uti possidetis* : atque patet in rebus mobilibus furto ablatas, l. *Si rem nobilem*. 47. ff. de *Acquir. possess.*, cum similibus. Sicut etiam nonnunquam obtinet aliquis in possessorio, et succumbit in petitorio : ut c. *Cum Ecclesia*. 3, et c. *Cum super*. 4, h. t.

29. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod tam possessio, quam proprietatem, sit jus quoddam spirituale. Resp. enim, hinc solum sequi, quod in jure spirituali convenient veluti in genere; non autem, quod ipsæ in specie, atque secundum naturam suam spectatæ habeant quid commune : sicut a pari homo nihil censetur habere commune cum asino, licet cum ipso conveniat in animali, veluti in genere proximo. Jason l. *Si quis autem*, n. 31 ff. de *Acquir. possess.* Accedit, quod nihil obstat, quin possessio et proprietatem sub uno respectu dicantur nihil habere commune, quatenus nimirum sunt distincta jura, et ab invicem separabilia, adeo ut sententia lata super uno eorum, non præjudicet in altero : et tamen sub alio respectu habeant quid commune, nempe unitatem generis, vel etiam identitatem objecti, atque connexitatem causæ de quorum ultimo plura inferius § 8, n. 248 et seqq.

30. *Possessio et proprietatem differunt quoad propriam naturam. Ex diversis non fit bona illatio.* — Resp. II. Possessio et proprietatem differunt imprimis quoad propriam naturam, atque essentiam suam. Siquidem possessio est jus, quo rem detineo ut meam : proprietatem vero, sive dominium, est ipsummet jus, quo res est mea, atque ergo sum dominus ejus. Et hinc fit, quod de possessione non liceat argumentari ad proprietatem, nec econtra : nam generaliter ex diversis non fit bona illatio de uno ad aliud arg. l. *Papinianus exuli*. ff. de *Minorib.*, et l. ult. ff. de *Calumniat.* Abbas consil. 10, n. 4, lib. 1; Barbosa tract. de *Axiomat.*, axiom. 114; Card. Tuschus litt. A, concl. 501, numer. 2. Et hoc procedit tam positive quam negative : ita, ut id non liceat neque quoad positionem, neque quoad remotionem.

31. *Proprietatem et dominium important propemodum idem.* — Notanter num. præced. dictum est, « proprietatem, sive dominium. » Hæc enim duo propemodum idem important :

nam proprietatem accipitur etiam pro dominio in l. 1. § *Hujus autem*. ff. *Uti possidetis*. Et, quod idem sit dicere, causa proprietatis ac « causa domini, » dum discutitur, cujus sit res, notat Abbas in c. 1, n. 2 h. t.

32. *Nisi quod dominium sit terminus magis amplius : idque declaratur.* — Dicitur, « propemodum idem. » Poterit enim sequens discrimen inter dominium ac proprietatem notari : videlicet, quod dominium sit terminus magis amplius, et comprehendat quodcumque dominium, tam directum videlicet, quam utile. « Nam et usufructus pars domini est, prout habetur in l. *Usufructus in multis*. ff. de *Usufruct.*; proprietatem vero accipitur solum pro dominio directo, et vero; prout liquet ex ipsa nominis etymologia. Siquidem proprietatem dicitur quasi *proprie tua res* : adeo, quod in tali jure parem non habeat. Unde fit, quod proprietatem nunquam ponatur pro solo dominio utili : sicque emphyteuta, feudatarius, et hujusmodi, qui habent utile dumtaxat dominium, non dicantur habere proprietatem rei; sed solus dominus directus. Jason in l. *Naturaliter*. § *Nihil commune*, n. 13 et 14, ff. de *Acquir. possess.*

33. *Possessio et proprietatem differunt quoad modum acquirendi.* — Resp. III. Possessio et proprietatem differunt etiam quoad modum acquirendi. Nam proprietatem quandoque acquiritur solo animo, et ante actualem apprehensionem rei : prout addita hæreditate illico transeunt omnia jura ad hæredem. l. *Cum hæredes*. ff. de *Acquir. possess.* et § fin. Instit. *Hæredum qualitat.* Econtra possessio nequit acquiri solo animo, et sine omni apprehensione vera, vel ficta, cit. l. *Cum hæredes*, et l. *Possideri*. ff. de *Acquir. possess.*, et l. *Licet*. c. eod., cum similibus. Deinde possessio ex pluribus causis non contrariis haberi potest : proprietatem vero sive dominium, non nisi ex unica causa, d. l. *Possideri*. § *Ex pluribus*, et l. *Non ut ex pluribus causis*. ff. de *Reg. jur.* Nam, « quod meum est, ex alia causa meum fieri non potest, nisi desierit esse meum; » ut inquit Pontifex in c. *Inter dilectos*. § *Cæterum*, de *Fide instrument.*, junctis concordantiis ibi a Glossa relatis.

34. *Et quoad modum amittendi; et qualiter?* — Resp. IV. Possessio ac proprietatem differunt ulterius in pluribus aliis. Nam proprietatem solo animo amitti non potest, l. *Si quis vi*. § 2, de *Acquir. possess.* Quod tamen cum Glossa ibidem intellige de solo animo, et retenta adhuc possessioni rei : nam alioquin perditur

dominium, et habetur res pro derelicta, si eam dominus abiecit eo animo, ut in numero rerum suarum esse nolit, § penult. Instit., de Rerum divis. Possessio e contra solo animo amitti potest, d. l. Si quis vi, et l. Possideri. § In amittenda. ff. eod. ad dicitur amplius infra § 6, n. 185 et seqq.

35. *Differunt etiam quoad effectus.*—Insuper proprietates causat petitorium, sive rei vindicationem: possessio autem causat interdicta, vel remedia possessoria, de quibus infra § 3, n. 76 et seqq. Et sic etiam quoad effectus nihil habent commune, cum causent valde diversos.

36. *Et quia possessio est effectus domini, seu proprietatis.*—Tandem, ut nonnullæ aliæ possessionis et proprietatis differentiæ taceantur, differunt ex eo: quia possessio est effectus domini seu proprietatis, estque commodum istius, arg. c. Sæpe contingit., 18, de Restit. spoliat., et notat Abbas ibid. n. 1.

37. *Sententia lata super proprietate rei, absorbet sententiam super possessione latam pro adversario.*—Et hinc sententia lata super proprietate rei, est majoris efficaciam atque in executione prævalet, et absorbet sententiam super possessione latam in favorem adversarii, c. Cum Ecclesia., 3, et c. Cum dilectus, 6, h. t., atque amplius declarabitur infra, n. 272 et 292 et seqq.

38. *In aliquibus etiam dici potest, quod effectus possessionis sit dominium.*—Quamquam loquendo de iis, quæ vel sub nullius dominio extiterunt, sicque fiunt primo occupantis (ut fera animalia, pisces maris, gemmæ ac lapilli in littoribus inventi), vel quæ in bello justo capiuntur; etiam dici possit quod effectus possessionis sit dominium, arg. l. Possessio. § 1, ff. de Acquir. possess., ac notat Lazius ibid. n. 3. Idem accidit vi usucapionis, et præscriptionis: ubi constat, quod effectus possessionis, bona fide ac debito tempore continuatæ, sit dominium rei, utpote vi dictæ possessionis legitime præscriptum, sicque acquisitum.

39. *Possessionis commoda sunt valde eximia. Beati possidentes.*—Queritur II. Quæ sint commoda et privilegia possessionis? Resp. I. Horum plura sunt, et valde eximia; adeo, ut in § Retinendæ. Instit. de Interdict. recte notetur quod « quia longe commodius est et potius possidere, quam petere: ideo plerumque et fieri semper ingens existat contentio de ipsa possessione. » Quinimo Glossa in l. Feud. tit. De pace tenend. §. Acquirat, eos qui tenent et

possident, *Beatos* appellat; nisi forte eorum adversarius probaverit de jure suo, ipsaque proprietate. Unde

40. *Possessio relevat ab onere probandi, et transfert istud in actorem.*—Resp. II. Possessio imprimis relevat ab onere probandi et transfert istud in actorem. Nam « actore non probante, qui convenitur, etsi nihil præstiterit, obtinebit, » ut dicitur in c. Cum Ecclesia. § fin. h. t. Concordat textus in l. Possessiones, c. de Probat. ibi: « Non enim possessori incumbit necessitas probandi eas (possessiones) ad se pertinere; cum te (actore) in probatione cessante, dominium apud eum remaneat, » cum similibus.

41. *Nisi præsumptio stet contra possessorem.*—Limitatur tamen regula ista et conclusio multipliciter, cum Glossa in can. Accusator. 6, q. 5, et cap. 1, §. Actore non. Ut beneficia ecclesiastica, etc. Nam primo ratione præsumptionis stantis contra possessorem aliquando transfertur onus probandi in reum seu possessorem: uti fit in cit. cap. un. Ut beneficia ecclesiastica, et cap. ult. § Sane, de Jurejurand., ubi ratione præsumptionis contra reum possessorem, et pro actore stantis, defertur reo possessori onus probandi.

42. *Aut actor intentionem suam habeat fundatam in jure.*—Deinde hoc ipsum accedit, quoties actor intentionem suam habet fundatam in jure communi: nam tunc alia probatione non indiget, sed reo possessori incumbit onus probandi, arg. can. Contra morem. dist. 100, et l. Sive possidentis. C. de Probat. Hinc etiam in cap. ult. de Restitut. spoliat. in 6, Ecclesia quæ petit restitutionem decimarum in aliena parochia possessorum non auditur, nisi antea probet, quod earum possessionem legitime fuerit assecuta: nam de jure communi (nisi aliud speciale ostendatur decimas spectare ad propriam ecclesiam parochialem) certum est, ac patet ex toto tit. de Decimis.

43. *Vel uterque concedat se possidere.*—Uterius fallit data regula seu conclusio, in duplicibus judiciis: nam ibi utraque pars litigantium tenetur probare, et quæ melius probaverit suam intentionem, obtinet, per textum in c. Ex litteris, 3, de Probat., et amplius dicitur infra § 7, n. 38. Idem dicendum, quando uterque contendit se possidere, c. Licet causam. 9, de Probat. Tacentur nonnullæ aliæ limitationes memoratæ regulæ, de quibus Glossa n. 41 citata, et alii.

44. *In pari delicto, vel causa, melior est con-*

ditio possidentis, et cur?—Resp. III. Insuper multum prodest possessio, et affert insigne commodum, dum « in pari delicto, vel causa, melior est conditio possidentis, » juxta reg. 65 juris in 6, et concordant textus in l. In pari. ff. eod. Quia enim in pari causa, duos titulos habet possidens; unum minus certum, parem tamen cum ejus adversario, nempe quod proprietates rei ad ipsum pertineat; alterum vero certum (quo caret adversarius ipsius), videlicet, quod possessio talis rei penes ipsum existat: merito in pari cæteroquin causa possessor præfertur suo adversario; cum fortius stringant duo vincula, quam unum, cap. 1, de Treuga et pace. juncto illo Ecclesiastes IV, 12, *Funiculus triplex difficile rumpitur.*

45. *Idque exemplificatur.*—Hinc ubi causa dubia reperitur, ac suborta inter quosdam controversia super rei proprietate, post factam diligentem inquisitionem adhuc remanet dubium: melior est conditio possidentis et ipsi adjudicatur causa, rei que proprietates.

46. *Fallit hoc in causis favorabilibus; et quæ sint tales?*—Excipe tamen hinc causas favorabiles, matrimonii videlicet, libertatis, dotis ac testamenti. Nam si in istis utriusque probationes extiterint æquales, non pro possessore, sed pro valore matrimonii, sive testamenti, dote aut libertate, profertur sententia: idque favore talis causæ liberalis. Textus est in c. Ex litteris. 3, de Probat., et cap. ult. de Sent. et re judic., ubi proin Glossa allegat illos vulgatos versiculos:

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos:
Si sint æquales, qui producuntur utrinque.

47. *Fallit eadem regula in simonia reali.*—Fallit insuper allata regula in simonia reali: nam recipiens aliquid per eam, tenetur acceptum restituere, c. De hoc. 11, de Simon., haud obstante, quod par sit delictum dantis, ac recipientis simoniace. Tacentur aliæ fallentia: ac proinde allata regula, et prædictum possessionis privilegium, intelligi debet procedere regulariter, et nisi circa aliqua jus speciale quid disponat.

48. *Possessio parit præsumptionem bonæ fidei pro possidente.*—Resp. IV. Possessio insuper parit præsumptionem bonæ fidei: adeo quod quilibet possidens censeatur in dubio esse possessor bonæ fidei. Ita Glossa in c. Si diligenti. §. Bona fides. de Præscript., et c. Sancitorum. §. Sincere, eod., ac notat Petrus de Ubaldis Repetit. in cit. c. Si diligenti, n. 28,

de Præscript., et Mascardus concl. 1007, de Probat. n. 12, ubi cum pluribus doctoribus a se citatis docet, quod possidere bona fide quis præsumatur nisi probetur contrarium; l. penult. c. de Eviction., cum similibus. Et merito: quia nemo præsumitur malus, nisi probetur malus, arg. cap. un. de Scrutinio in ordine faciend., et cap. ult. de Præsumpt. Et quia nemo delinquere præsumitur, quin potius in dubio quilibet jure suo uti censendus est, l. Merito. ff. Pro socio.: hinc pariter sequitur, quod possidens, nisi aliud probetur, nec vi, nec clam, nec precario possidere præsumatur. Mascardus, de Probation., concl. 1197, n. 57 et 58.

49. *Nisi appareat de possessione antiquiori.*—Fallit tamen data regula, et adductum proxime privilegium, in nonnullis casibus. Primo, quando apparet de possessore antiquiori: tunc enim possessio recens præsumitur vitiosa, clandestina et minus justa; atque ipsemet possidens (nisi titulum verum, aut saltem putativum, allegare valeat) præsumitur esse in mala fide, arg. c. Licet causam, 9, de Probation., ac notat Abbas c. Si diligenti, n. 15 et 16, de Præscript.; Bartolus in l. ult. circa fin. c. Unde vi, et l. Lucius, §. Quæro ponere, ff. de Usucapion. Petrus de Ubaldis loc. cit. n. 35, et alii. Accedit ratio, tum quia contra talem juniorem possessorem (nisi titulum allegare valeat) recte antiquior possessor opponere poterit malam fidem, juxta illud: « Quod tuum non erat, scire debebas ad alium pertinere, » l. ult. c. Unde vi; tum quia duo simul, ac in solidum, eandem rem possidere non possunt: ille vero, qui olim possedit, etiam hodie possidere præsumitur, arg. l. Licet. C. de Acquir. possess., et l. Sive possidetis. C. de Probat., et cum communi notat Mascardus, concl. 1200, de Probat. n. 6 et alibi. Unde consequens est possessionem juniorem (si ejus justitia aliunde non ostendatur) præsumi vitiosam, et clandestinam. Etenim ille censetur « clam possidere, » qui furtive ingressus est in possessionem eo ignorante, quem sibi controversiam facturum suspicabatur, et ne faceret, timebat, text. clar. l. Clam possidere, ff. de Acquir. possess.

50. *Nec junior possessor possedisset per tempus longissimum.*—Intellige, dummodo noviter possidens non possedisset per longissimum tempus, puta per triginta annos: alioquin enim iste præsumeretur esse in bona fide, quantumcumque appareat de posses-

sione antiquiori alterius. Abbas cit. n. 16; Bartolus in l. ult. circa fin. C. *Unde vi*; Petrus de Ubaldis cit. n. 35, allegans alios.

51. *Vel saltem per decem annos.* — Quinimo, si junior possidens probaverit, se a decem annis citra possedisse, atque antiquiorem possessorem illis decem annis desisse possidere; similiter non procedit dicta præsumptio contra eum ex antiqua possessione: quia per desistentiam longi temporis, sive decennii, inducitur negligentia, oblivio, atque amissio possessionis ex parte alterius, qui habuit anteriorem possessionem, ab ea tamen per decennium desistit. Mascardus d. concl. 1200, n. 86 et seqq., post Bartolum in cit. l. *Lucius*. § fin. ff. de *Usucap.*, Baldum, et alios.

52. *Referuntur alii casus, in quibus possessio non parit præsumptionem bonæ fidei.* — Fallit alterius data regula, sive quod possessio pariat præsumptionem bonæ fidei, quando intervenit denuntiatio: ut si denuntiatum fuerat a domino, ne quis emat, eo quod res non sit distrahentis. Nam talis denuntiatio constituit emptorem malæ fidei possessorem, l. *Si fundum. de Rei vindicat.*

53. *Referuntur alii casus, in quibus possessio non parit præsumptionem bonæ fidei.* — Fallit tertio, quando quis rem acquirit contra jus: ut l. *Quemadmodum. C. de Agricol. et censib.* lib. X. Vel mercatur contra leges, harumque prohibitionem, juxta reg. 82 juris in 6, ibi: « Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsument non habere. » Ut si quis emit a prodigo, cui bonis interdictum fuit, l. *Qui fundum. § Qui sciens. ff. Pro emptor.*, et l. *Si quis. ff. eod.* Tacentur aliæ hujusmodi fallentiæ, quarum quindecim adducit Petrus de Ubaldis, cit. *Repetit.* in c. *Si diligenti*, n. 30 et seqq., de *Præscript.*

54. *Possessio parit etiam præsumptionem dominii.* — Resp. V. Possessio ulterius parit præsumptionem dominii, arg. l. ult. c. *de Rei vindicat.* et § *Retinenda.* Instit. de *Interdict.* Proinde « habere is dicitur, qui utitur, et jure possessionis fruitur, » per textum notabilem in l. *Prætor ait. 2. § Habere. ff. Ne quid in loco publico, etc.* Et quod possessor præsumat etiam esse dominus, et qui dicit contrarium, probare debeat, tradit Card. Tuschus litt. P. concl. 427, n. 13, post Paulum de Castro, consil. 139, lib. I. Idemque docet Federicus de Senis, consil. 13, § *Secundum est*, ac Mynsinger d. § *Retinenda*, n. 12. Ubi tamen istud ait esse intelligendum, quando

dominium deducitur in judicio incidenter: secus, si principaliter, ut quia rei vindicatione agitur; nam tunc probatio dominii necessaria est, arg. c. *Cum Ecclesia*, 3, h. t. ac notat etiam Mascardus, de *Probation.*, concl. 1201, n. 71 et seqq.

55. *Si duo habent causam ab eodem domino, melior est conditio ejus, qui possidet, seu cui res tradita fuit.* — Resp. VI. Insuper possessio illud commodi affert, quod si duo habeant causam ab eodem domino, melior sit conditio ejus in definendo dominio, qui possidet, sive cui res tradita fuit. Patet hoc clare ex l. *Quoties. C. de Rei vindicat.*, ubi exemplum hujus ponitur de fundo duobus in solidum vendito: nam (inquit textus) « manifesti juris est, eum, cum priori traditum est, in definendo dominio esse potiore. »

56, 57 et 58. *Fallit hoc in causis matrimonialibus, et beneficiis, ac nonnullis aliis casibus.* Fallit tamen hoc ipsum in pluribus casibus: videlicet in causis matrimonialibus, c. *Tuas. 5. de Sponsa duor.*, ubi deciditur, quod is, qui duas per verba de presenti desponsavit, primam desponsatam habere debeat in uxorem, etiamsi prius cognoverit secundam. Nam vinculum matrimonii jure divino existit indissolubile, quod per consensum de presenti rite contrahitur.

Fallit insuper in beneficiis ecclesiasticis, in quibus valet prior collatio, non posterior, etiamsi hæc sit conjuncta cum possessione, seu actuali receptione ipsius beneficii, c. *Tibi qui. 12. de Rescript.* in 6 et c. *Eum cui, 7. de Præbend.* in 6.

Quin etiam, ut taceantur nonnulli alii casus, fallit id ipsum in ecclesia, vel alio loco religioso, aut civitate emptore: nam ista vi specialis privilegii, causa religionis, vel ob favorem publicum talibus concessi, excludunt secundum emptorem, non obstante traditione mercis huic facta, et possessione ejus subsecuta; l. *Ut inter. C. de Sacrosanct. Eccles.*

59. *Possessio causa usucapiendi conditionem.* — Resp. VII. Possessio plura alia affert commoda, et privilegia: nam ulterius, atque septimo causat usucapiendi conditionem: et si cum bona fide, atque legitimo tempore fuit continuata, parit præscriptionem; ita quidem, ut res, quæ prius revera non fuerat possessoris, elapso tempore a jure præfinito fiat propria possessoris, et iste non amplius teneatur eam pristino domino, postea primum ipsam repetenti restituere, l. III, ff. de *Usucapion.*, cum similibus.

60. *Possessio debet exprimi in privilegio, quod tendit in præjudicium tertii possidentis.*

— Octavo. Possessio debet exprimi in privilegio, quod tendit in præjudicium tertii possidentis: alioquin istud non præjudicat possessioni, arg. c. *Dudum. 31. de Privileg.*, et cap. II, § 1. de *Decimis*, in 6. Neque enim intentio principis est, per suum privilegium inturbare, seu cuiquam auferre jus possessionis, nisi id exprimat; aut saltem verba privilegii sint adeo universalis, et clara, ut ex ipsis mens principis, sive concedentis, satis appareat, quod voluerit etiam possessionem comprehendere. Tuschus litt. P. concl. 427, n. 1 et 2 et alii.

61. *Et parit restitutionem spoliati.* — Nono. Possessio, a qua aliquis privata alterius violentia fuit dejectus, vel clam ea privatus, parit restitutionem spoliati. Et hæc quidem ante omnia necessario debet fieri, non obstante, quod spoliator, sive occupator rei ab altero prius possessæ, alleget titulum, velitque probare, rem illam esse suam. Siquidem restitutio spoliati ante omnia fieri debet, c. *In litteris. 5.* et seqq. de *Restitut. spoliati.*, atque ibidem amplius dicitur.

62. *Possessio bonæ fidei tribuit possessori jus administrationis.* — Decimo. Possessio bonæ fidei tribuit possessori jus administrationis. Hinc, si quis sit in possessione, vel quasi possessione eligendi, præsentandi, vel instituendi clericos in beneficio, aut hujusmodi: valida est electio, præsentatio, etc., ab ipso facta, quamvis postmodum appareat, tale jus non ad ipsum, sed ad aliquem alium pertinuisse. Patet hoc ex c. *Querelam, 24.* juncta Glossa, §. *Super jure, de Election.*, et clarius c. *Consultationibus, 19. de Jure patronat.*

63. *Possessor bonæ fidei lucratur fructus ex re possessa perceptos: secus dicendum de possessore malæ fidei.* — Undecimo. Possessio bonæ fidei id juris tribuit possessori, ut hic lucratur fructus ex re taliter possessa perceptos, neque ipsos jam consumptos cogatur domino postmodum comparenti restituere, § *Si quis a non domino.* Instit. de *Rerum divis.* et l. *Bonæ fidei, § 1.* ff. de *Acquir. rerum domin.*, atque ex professo declarabitur tit. seqq. § 6, n. 127 et seqq. Secus dicendum de malæ fidei possessore: nam is indistincte omnes fructus, licet consumpti fuerint, cogitur restituere, cit. § *Si quis a domino*, cum similibus.

64. *Possidens nec vi, nec clam, nec precario, debet a iudice in sua possessione manuteneri.* — Duodecimo. Possessio præstat hoc commodum,

ut si quis tempore motæ litis in possessione reperitur, et nec vi, nec clam, nec precario possideat, a iudice defendi, et in sua possessione manuteneri debeat, l. I, ff. *Uti possidetis*, et l. I, c. *de Servitut.*, cum concordantiis.

65. *Etiam vitiosa possessio prodest adversus extraneos.* — Quinimo etiam vitiosa possessio prodest adversus extraneos, etsi non contra dominum rei. Textus est in l. ult. ff. de *Acquir. possess.*, et d. l. I, § fin., *Uti possidetis*. Hinc Pontifex in c. *In litteris, 5. de Restitut. spoliati.* inquit, quod etiam prædo secundum rigorem juris sit restituendus: de quo tamen plura tit. seqq., § 3, n. 59 et seqq.

66. *Possessor invasus potest vim vi repellere.* — Tandem possessio id commodi tribuit, quod possessor ab altero invasus possit vim vi repellere, remque suam defendere, adhibitis etiam armis, si ita opus fuerit: aut jam expulsus, possessionem suam repetere, dummodo id statim, sive incontinenti fiat, c. *Quam causam, 12. de Restitut. spoliati.*, et l. *Idem est*, ff. de *Vi et vi armat.*

67. *Alia possessionis commoda. Remissive.* — Alia plura possessionis commoda, seu privilegia existunt; adeo, ut Barbatia in *Repet. rubric. de Causa possessionis et proprietatis*, centum privilegia possessionis enumeret. Verum præmissa sunt principaliora.

§ III.

DE CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS; UBI ET DE INTERDICTIS.

68. *Causa possessionis, quæ?* — Queritur I. Quid sit causa possessionis et proprietatis, et quale iudicium utrique correspondeat? Resp. I. Causa possessionis est, in qua principaliter possessione agitur de sola possessione, vel quasi sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda: ut si actor principaliter petit per iudicem declarari, quod possessio ejuspiam rei ad ipsum pertineat, quisquis interim illius sit dominus. Et huic correspondet « iudicium possessorium; » estque illud, in quo controversatur super sola rei possessione, vel quasi possessione.

69. *Appellatur etiam momentanea, et cur? Iudicium possessorium, quod?* — Porro Causa possessionis alio nomine appellatur momentanea: uti videre est in l. ult. c. *Qui legitimam personam standi*, etc. ubi dicitur: « Momentaneæ possessionis actio; » juncta Glossa,